Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Gala

in xpo iesu ut nos in seruitutem redigerent quibus nec ad horam cessimus subiectioni ut veritas euangelii permaneat apud nos. Ab his autem qui videbantur esse aliquid qualecumque aliquis fuerint michi nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit. Michi autem qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt. Sed econtrario cum vidissent quoniam creditum est michi euangelium preputii sicut petro circumcisionis. Qui operatus est petro in apostolatu circumcisionis operatus est et in me gentes. Et cum cognouissent gratiam datam mihi. Petrus et iacobus et iohannes qui videbantur columne esse dextras mihi dederunt et barnabe societatis ut nos in gentes ipsi autem in circumcisionem ut pauperum memores essemus quod eadem solicitus fui hoc ipsum facere. Cum autem venisset cephas antiochiam in faciem ei restiti quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a iacobo cum gentibus edebat. Cum autem venissent subtrahebat et segregabat se timens eos qui ex circumcisione erant. et simulationi eius consenserunt ceteri iudei ita ut barnabas duc ab eis in illa simulatione. Sed cum vidissem quoniam non recte ambulant ad veritatem euangelii dixi cephe coram omnibus. Si tu cum sis iudeus gentiliter et non iudaice viuis quomodo gentes cogis iudaizare. Nos natura iudei et non ex gentibus peccatores. Scientes autem quia non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem iesu xpi. et nos in xpo iesu credimus ut iustificemur ex fide xpi et non ex operibus legis quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Quod si querentes iustificari in xpo inuenti sumus et ipsi peccatores. numquid xpus peccati minister est. absit. Si enim quae destruxi hec iterum reedifico prevaricatorem me constituo. Ego enim per legem legi mortuus sum ut deo viuam. Xpo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego viuit autem in me xpus. Quod autem nunc viuo in carne in fide viuo filii dei qui dilexit me et tradidit se metipsum pro me. Non abicio gratiam dei. Si enim per legem iustitia ergo xpus gratis mortuus est. Sequitur in .vi. ad galatas. III.

O insensati galathe. quis nos fascinauit non credere veritati ante quorum oculos iesus xpus per scripturas est et in uobis crucifixus est hoc solum volo a uobis discere. Ex operibus legis spiritum accepistis an ex auditu fidei. Sic stulti estis ut cum spiritu ceperitis nunc carne consumamini. Tanta passi estis sine causa. Qui ergo tribuit uobis spiritum.